IN FESTO CATHEDRÆ SANCTI PETRI ORATIO

Habita in Baſilica Vaticana

AD

Sanctiſſimum Dominum Noſtrum

CLEMENTEM XII.

AB ANTONIO PHILIPPO ADAMI
PATRITIO PISTORIENSI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis, è foro Rotundæ, in via ad Seminarium Romanum. MDCCXXXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro

CLEMENTI XII.

PONT. OPT. MAX.

ANTONIUS PHILIPPUS ADAMI

FÆLICITATEM.

OPtimè conſuluit, BEATISSIME PATER, *Eccleſiæ ſuæ Deus, humanique generis univerſi fælicitati*

Digitized by Google

proſpexit, quum te ad dignitatem illam divinitùs extulit, quâ ſublimiùs, aut præſtantiùs, non eſt quidquam in terris. Tot enim, atque adeò egregia facinora, ad Chriſtianæ Reipublicæ ſecuritatem non minus, quam, & ſupremi Numinis, cujus vices obtines, cultum augendum, exiguo quamvis tempore laudabiliter abſolviſti, ut nullâ unquam oblivionis notâ deleri, aut obſcurari poſſe videantur. Indèque evenit, quod ſicuti antequam Summus Sacrorum Antiſtes renunciareris, bonorum omnium habebaris in votis, ita nunc ingenti cum plauſu eorum verſaris in ore, regioneſque ipſæ à nobis, non parum diſſitæ, res à te præclariſſimè geſtas, crebris uſurpare ſermonibus ſolent, & tua partim conſilia, partim facta, quovis commendationis genere, celebrant, colunt. Sed non is ego ſum, CLEMENS XII., *qui vel minimum quidpiam, de Sanctiſſimi Principis laudibus, recenſere, audeam, aut velim, erga quas, & ſi ſolâ cogitatione defigar, multitudine, ac magnitu-*

dine

Digitized by Google

dine abſterrear oportet. Pauca hæc breviter attingere non dubitavi, ut benigniùs indulgeas, ſi Augustissimo Nomini Tuo *Oratiunculam hanc inſcribere auſus fuerim, & ad Patrocinii Tui aram adducere, probè gnarus, quam immenſa publicarum rerum ſeries* Pontificem Maximum *quotidiè diſtentum teneat, à quibus, hac tenujori operà oblatâ, cæteroquin avocare, relligio eſſet. Ingrati ſiquidem animi crimen, contracturus in me eſſe ſentirem, cum id Tibi, quod poſſem, inter immenſa Catholici Orbis præconia, obſequii ego teſtimonium non redderem, eamdemque Orationem, qualiſcunque ſit, illi ipſi dicare renuerem, qui per ſummam Clementiam, & humanitatem, propè ſingularem, eam e Pontificii Solii faſtigio excipere, & ab imperito homine, in ſummâ rerum omnium ignoratione deliteſcente, tam excelſo loco proferri, non eſt dedignatus. Sanè, quod mea vetabat tenuitas, tua* Beatissime Pater, *permiſit benignitas, optimèque cognovi,*

 quan-

quanta in accepto munere, habenda ſit gratia, cum in explendo tanta ſit difficultas. Æquo igitur patiaris animo, validiſſimi tui præſidii clypeo muniri, tibi certè debitum opus, eoque libentiùs, quòd de DIVO PETRO *mentionem gerat, cujus in Sede, ſicuti nunc meritiſſimè conſtitueris, ita* DEUM *Opt. Max. precor, ut* Te *Patrem Communem, Paſtoremque Vigilantiſſimum, diù ſervet incolumem.*

ORATIO.

ORATIO.

SI ulla unquam illuxit dies, Beatiſſime Pater, immortalitatis memoriâ, ab univerſo Chriſtianorum cœtu ſignanda, ea certè eſt, quæ admiranda pœnitus Sanctiſſimæ Relligionis noſtræ primordia refert, quùm fabuloſo gentium præſtigio, ex hominum corde avulſo, purioris luminis claritate, vera fides enituit. Ex eo etenim tempore adeo valida, & firma, quibus inniteretur, jacta ſunt fundamenta, ut nullo acerrimorum illius hoſtium conatu, nullâ vi, nullâ temporum injuriâ, tutiſſimum ædificium, Divinâ operante gratiâ conſtructum, concuti valeat, aut propulſari. Hanc igitur fauſtiſſimam diem, tàm ſacris ornatam inſignibus,

bus, tantiſque decoram miſteriis, hodiernâ Solemnitate veneratur Eccleſia, eam profectò recolens, quâ Beatiſſimus Apoſtolici Ordinis Princeps, Pontificatus à Chriſto accepti, Cathedram Romam tranſtulit, Sedemque ibi conſtituit, undè nunquam defecturæ fidei norma, traderetur hominibus, & lux veritatis, tanquam ab ipſo capite, ad cæteras Mundi partes diffuſa, longè latèque fulgeret. Non aliundè ſiquidem deſumi debet, veterum ſuperſtitionum finis, Divinarum doctrinarum initium, innumerorum ſcelerum profligatio, inauditarum anteà virtutum ortus, cultus deniquè inſtitutio rectiſſimi ab inſignibus poſtmodùm Sapientiâ non minus, quàm probitate viris, partim dictis, & ſcriptis, partim operibus, & ſanguine confirmata. Nonnè omnium igitur animos, immenſa propemodum rapiet lætitia, nonnè ſuavis unumquemque alliciet hujus diei recordatio? Hodiè, intra hæc mænia ipſa, quæ etiam nunc pro ſingulari beneficio gratias agere mihi videntur, ad Oecumenici gregis curam conſtitutum ovile, ad inſtruendos non errantibus ſcientiis animos reſeratum Lyceum, ad comparandam de impietate victoriam Trophæum Crucis inlatum, ad monſtrandum Salutis iter lumen accenſum, ne ambularent in tenebris, qui ducendi erant ad vitam. Hodiè poſt peragratum immenſis labo.

laboribus, longiſſimum terrarum ſpatium, miniſterium ſibi à cæleſti Magiſtro traditum Petrus, antè faciem omnium populorum exercendum ſuſcepit, hodiè hac in Urbe dilectiſſimæ Sponſæ Eccleſiæ regimen contulit, ejus poſtea Succeſſoribus demandatum, & tali fultum præſidio, ut portæ Inferi, contra illud prævalere minimè poſſint. Felix itaquè hac unâ præcipuè gloriâ Roma, quòd Catholici hodiè veluti arx deſtinaris Imperii, ſupra cæteras præelecta gentes, ubi noviſſimè ſanciti fœderis in tuto poſita arca quieſceret, ubi Orthodoxæ Reipublicæ Summa conſiſteret, & ſancta Redemptionis inſignia, ſine fuco, & fallaciis in perpetuum venerarentur. Quod ſi, & apud Ethnicos homines, quorum Numina opera eorum erant, tanta habebatur cujuslibet ordinis præparatio, & pietas, cum Sacrorum inſtauratio celebranda rediret, quantâ majori nos reverentiâ, & veneratione temporis illius proſequemur adventum, à quo Magni Sacerdotii, & inviolabilis legis gratiæ, Divinitatis oraculo, per Immortalem Orbis Reparatorem jam revelatæ, incunabula, ut ita dicam, metimur. Si etenim illorum præcipuè meminiſſe juvat, quibus præ cæteris, beneficia debere ſentimus, quantâ omnium ordinum frequentiâ, & Chriſtianæ plebis alacritate, adeo eximii muneris, erit memoria excipienda.

pienda. Nec ſolâ ſanè animorum exultatione, aut inani apparatu laudum, lætitiæ ſpecimen tantum, exhibere mortales decet. Contendendum totis viribus nobis eſt, ut quemadmodum Sacræ hujus, commorantis in terris, ità Cœleſtis Hyeruſalem, recipiamur in ſinu, quem aſſequi finem nullâ ratione conceſſum puto, niſi omnigenâ morum integritate, veraciſſimæ, illius Relligionis exequamur mandata, cujus in Auguſtâ hac Vaticanâ Baſilicâ celebramus Triumphum. Plures ſanè commemorantur, qui ante partam humano generi libertatem, naturæ tantum præſcripto ducti, à benè, beatèque vivendo non deſtiterunt, nos autem electum genus, veræ populus acquiſitionis, in hæreditatem Domini adſciti, in tantâ claritate degentes, præceptis, ſignis, undiquè roborati, à rectis ſemitis deflectemus, & ſuave excutiemus jugum, humeris ad ſalutem impoſitum? Utinam potiùs, cum, & nos tam Sancti cœtus pars ſimus, illius dignitati reſpondeamus, nè tamquam tabeſcentia membra, & infructuoſa, æternis tradamur ignibus comburendi. Utinam fortiſſimorum virorum, imitemur exempla, qui ad Chriſtiani nominis incrementum, non exilia, non carceres, non cruciatus, non mortem ipſam, immaniſſimo quovis ſupplicii genere expetitam, aufugerunt. Utinam deniquè, Eccleſiaſtica fidelium Hyerar-

rar-

rarchia, ad præſens, quod intuemur faſtigium evecta, majori in dies incremento, ubique terrarum latiſſimè propagetur, quod Deo Optimo Maximo annuente, ad ſui ipſius honorem, & gloriam, ad bonorum conſolationem, ad cunctorum utilitatem, brevi temporis intervallo, fore ut eveniat, ſperandum eſt.

BIBLIOTECA NAZ.

F I N I S.

Digitized by Google

IMPRIMATVR,

Si videbitur Rmo P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſt.

N. Baccarius Epiſc. Bojan. Viceſg.

IMPRIMATVR.

Fr. Joachim Pucci Sac. Th. Mag. & Socius Rmi P. Sacri Palatii Apoſt. Magiſtri Ord. Præd.

Digitized by Google